

De
inviolabili iure Separationis
rum.

CVM VIRTVS, POST FVNERA,
B. IOANNIS CHRISTOPHORI RICHTERI,
VIRI DE OMNIBVS BENE MERITI,
A. R. S c^o I^o c^o xxxxi, MEMORANDA ESSET,
ANTISTITEM RERVM SACRARVM
SVMME REVERENDVM,
PATRES OMNI HONORE DIGNISSIMOS,
AC RELIQVOS, QVI BONAS ARTES ORNANT AC FOVENT,
VIROS GRAVISSIMOS,
AD AVDIENDVM, IPSIS MARTII NONIS,
OPTIMAE NOTAE IUVENEM,
SAMVELEM GOTTLOB MAIVM, FREIBERG.
ANTE, QVAM PIVM ISTVD CVRET OFFICIVM,
DE FORTVNA AVSTRIACA, DICTVRVM,
H. L. Q. C. VT CONVENIANT,
PRECE INVITAT IMPENSA
M. SAMVEL MOLLERVS, G. R.

FREIBERGAE,
TYPIS CHRISTOPH. MATTHAEI.

Hist. miscell.

A. 279, 106

Vbi fama defunctorum a malevolorum criminationibus ac insultibus vindicata sit, ipsa demum sepulchra, monumenta, statuae, & quae alia, praeter haec, pia dedicata sunt memoriae, una cum ipsius corporis exuviis, bene observanda & tuenda sunt. Cum mors enim aequet omnia, ipsaque pauperum pariter ac procerum cineres atque ossa temere, & sine quadam dignationis nota, misceat: tituli tamen isti, istaque imagines, vel ipsos tacite clarorum virorum pulvisculos designant, & his, in quibus nomen adhuc, non moriturum, continetur, aliquam ipsorum reverentiam inculcant. Eos enim esse mortuos, legi naturae communi erat consentaneum, justitiae autem, hoc observare, quicquid, vel reliquiarum, vel operum, vel memoriae superest, suoque id omne honore dignari, & cum interna aestimatione, externo etiam cultu prosequi. Nec tamen hoc illi, qui ex deliro foedoque superstitionis laborant vitio, faciant: quippe, qui eidem mancipati sunt, honorem plus humanum his rebus velint impertiri, a Deo discedentes longius, & haec, quae divina sunt, molitionibus suis impugnantes. Pura & sincera mens sit; quare non tam hoc agendum est, ut res ejusmodi ultra suam dignitatem attollantur, sed, ut ne contemti, vel habeantur, vel abjiciantur, vel profana quadam ratione obterantur. Bene de his, qui bonus est, cogitat, atque ejus voto favet, qui vel sibi sua ipse, moriturus, monumenta condidit, vel aliquando conditum iri novit, obque id tacite laetatus est: nemo autem, nisi, qui ipsius humanitatis contemptor sit animus, manus conscientiamque suam, legibus contemptis, sic polluet. Non Plutonem solum, sed & Libitinam Antiqui praefecerunt sepulchris, quae, ut Plutarchus, in vita Numaee, affirmat, *ἐπίσκοπος*, vel Praeses nuncupabatur justorum, & quae, qualiave haec essent, & qua mente fierent, annotare putabatur. Hic enim, quam pravum esset, suum jam Nero prodebat ingenium: cui haud satis erat, Claudium, nutritium indulgentissimum, omnibus rerum verborumque contumeliis, mortuum, insectari, eumque modo stultitiae, modo saevitiae arguere: sed qui & bustum ejus negligentissime, neque ex ea, quae imperatore digna esset, materia condebat. Quae autem res non tam Claudium infamabat, quam ipsum tyrannum, qui deinde clementiores in se Eclogen & Alexandram, nutrices, & Asten, concubinam expertus est: quippe quae ejus reliquias in gentili Domitianorum monumento condiderunt, in quo solium Porphyretici marmoris, superstite Lunensi ara, circumseptum ex lapide Thasio. Sveton. in vita Neronis c. 33 & 50. Nihil vero olim sanctum adeo & custoditum habebant Scythae, quam parentum suorum sepulchra: sique isti aliarum rerum omnium securi essent, nec bella, propter eas tuendas, neque etiam praelia incunda putarent: vel tunc tamen arma expediverunt, si busta haec violata, ac manibus vis illata esset. Ideo Idathyrus, Rex eorum, Dario, laceffenti provocantique, apud Herodotum, Hist. L. IV. c. 127. ita respondet: Sic res
meae,

meae, o Persa, Dariæ, comparatae sunt, ut neque ullum mortalium ego metuens ante fugerim, neque nunc fugiam te, neque quicquam faciam diversum nunc, atque in pace consueveram. Quod autem non protinus tecum in eo praelium, hujus rei te certiore faciam: Nobis neque oppida sunt, neque agri culti, quos aut invadi, aut vastari metuentes, properemus vobiscum conferre praelia. Ad quae si opus est devenire continuo, sunt paterna sepulchra; quae vos cum nacti fueritis, aedum, tentate labefactare, & tunc intelligetis, utrum pugnaturi simus vobiscum, nec ne: prius autem, nisi nos ratio traxerit, tecum praelium non conferemus. Diu satis cum Philippo, Rege Macedonum Athenienses erant conflictati, tristiaque multa passi, ob quae in crudelitatem saevitiamque istius invehi possent: sed introducti in senatum Romanorum, opem, malorumque istorum medelam cum rogarent: non tam id questi sunt, quod hostilia ab eo passi essent, quod fata exusta, dirutaque tecta, & praedae hominum pecorumque actae essent, quoniam jura quaedam essent belli, quae ut facere, ita pati fas sit: verum id se queri dixerunt, quod is adeo omnia simul divina humanaque jura polluerit, ut priore populatione cum infernis diis, secunda cum superis bellum nefarium gesserit. Omnia sepulchra monumentaque diruta esse in finibus suis, omnium nudatos manes, nullius ossa terra tegi Liv. Decad. III. L. 1. Sed crimini suo quo isti patrocinari modo, qui sepulchra sic disturbant, ausint, vix appareat: quorum in bello facinus saevitiam immanitatemque summam refert, in pace autem maleficium plane inhumanum. Nemini facile in bello nocetur, nisi, qui ipse nocere, ac arma inferre possit: quare infantes sua merito tuetur aetas, feminas, nisi viragines velint agere, senes, nisi consilia eorum praestito sint, virium infirmitas, aliosque, qui imbelles sunt ordo suus. Sed quid ex sepulchris & sepultis, bella gerentibus, queat esse periculi? Hinc, si hostibus ira intenta sit, nec tamen sepulchris, nec mortuis, aliquis esse possit offensior, quia non mordent mortui, quia non hostium numero continentur, quia retinaculis civilibus, ac ipsorum hominum, quae ad omnia, a quibus lex naturae non abhorret, membra sibi conjuncta, adstringit, societati sunt exempti. Dicitur mors omnium calamitatum esse terminus, & recte: tamen verò ad hos, qui sepulti sunt, istarum aliquis sensus non perveniat; tamen hujus quasi instar aliquod eosdem occupat, qui, cum nec mortalitatem, nec mortem suam, reformidassent, mortui tamen & quiete & existimatione illaesa se frui posse, voluerunt. Anne vero isti, qui tam crudeliter in alios statuunt, secum etiam aliquando perinde agi velint? Si velint, se ipsos odisse atque abjicere videantur; si nolint, quare non suam ipsi libidinem ab his abstineant, quae ipsi non immerito abhorrent? Terrorem sic hostibus injiciendum esse qui statuunt, colore magis, quam vera utuntur ratione: quoniam, cum alia terroris injiciendi instrumenta suppetant,
haud

haud illud designandum, quod humanitatem miserationemque ac pietatem evertit. Velut enim cultioribus semper populis haec maxima inhaesit cura, ut ne corpora sua carerent tumulo: sic mirari subeat, neminem, de hoc supremo officio, Senecam non modo non rogasse, sed &, egresso animo, alteram sui partem, non secus, atque ex barba capillos detonsos neglexisse: cum contra ea Palinurus ille, qui per omnem fere vitam maria coluisset, ea damnasset mortuus, hoc Æneam impense rogans & postulans:

Nunc me fluctus habet, versantque in littore venti.

Quod te per coeli jucundum lumen & auras,

Per genitorem oro, per spem surgentis Iuli:

Eripe me his, invicte, malis: aut tu mihi terram

Injice, namque potes, portusque require Velinos.

Virgil. Libr. VI. v. 162 & 363. Et, si quis hoc defuncto corpori non praestitisset, ille impurus dicebatur, ac Cereri quotannis porcā praecedaneam ut mactaret, jure adstringebatur.

Devotis enim & execrandis hoc saltem capitibus leges denegant officium; jure his exclusis, qui parricidae essent, & sacrilegi, quique, injussu Imperatoris, de statione & praesidio suo decedentes, manus sibi ipsis intulissent violentas, vel alio quodam piaculo aeternam sibi contumeliam atque infamiam contraxissent: quod vero illis, quibus merito debebatur, si fieri posset, semper fuit assertum. Atque sic, quando corpus erat illatum, locus ipse, qui non talis, sed purus, ante fuerat, religiosus, a relinquendo, quoniam in arando & colendo relinquebatur, dici coepit, tametsi ille consecratione ac verbis solennibus non esset dedicatus. Sufficiebat enim glebae usus; &, quod Cicero, L. II. Leg. dicit, priusquam haec in os injecta erat, locus ille, ubi crematum erat corpus, nihil habebat religionis: injecta gleba tumulis, & humatum est, & gleba vocatur, ac tum denique multa religiosa complectitur. Hoc autem jura vetabant manium: ne quis, vel saxa, vel marmora, vel cespitem, vel aliam inde materiam tolleret; ne quis dolo malo ibi habitaret; ne quis, contra voluntatem testatoris, alienus inferretur; ne sepulchrorum usus, venditione, aut permutatione pollueretur. Si quis secus fecisset, pro ratione facti & personarum, ipsa poenarum habita est ratio: quae erant: mors, exilium, damnatio ad metalla, pecunia, manusque amputatio. Vid. Kirchmann. de Funer. Rom. L. II.

III. c. 22, 26. Guter. de jure Man.

L. III. c. 25.